


V C
3487



A.





PANEGYRICVS
 SERENISSIMO POTENTISSIMOq
 PRINCIPALI DOMINO
 DOMINO IOHANNI GEORGIO
 DUCI SAXON. SVL. CVM. MONT.
 S. R. I. PRAEF. P. SEPTEMVIROq
 AVGVSTALI.
 PIO, PACIFICO, PATRIAE PATRI
 dicatus consecratus
 MAGNIFICENTISSIMO FERDINANDO
 HEO AB HEO NEGG. EQ. MISN.

I. Müller, sculp.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



Faint, illegible text impression, possibly a library or archival stamp, located in the bottom center of the page.

PANEGYRICUS,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEORGIO,

D. G.


SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, AC
MONTIUM DUCI, SACRI ROMANI
IMPERII PRÆFECTO-PRÆTORII, ET
ELECTORI-SEPTENVIRO,

LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET
UTRIUSQUE LUSATIÆ, NEC-NON BURGGRAVIO
MAGDEBURGENSI: COMITI DE MARCA, ET
RAVENSBURG: DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

IN IP SO LXV^{to} EJUS NATALI, QVI IN
III. NON: MARTII INCIDIT, INTER FE-
STA GAUDIA ET GRATULATIONES,
DICATUS, CONSECRATUS,

^A
MAXÆMILIANO FERDINANDO
HOE AB HOENEGG. EQVIT. MISN:


DRESDÆ,

TYPIS BERGENIANIS,

ANNO:

—————
M. DC. XLIX.

PANEGYRICVS

SEXTISSIMO REGIS SIGISMONDI
AVSTRIACI ET BOHEMORVM

JOHANNIS GEORGII

SAXONIAE, JUBILAEI CIVITATIS

MONASTII DUCIS SACRI ROMANI

IMPERII PRINCIPIS ELECTORIS

ELECTORIS PALATINI

LAUSAVIENSIS ARCHIEPISCOPI

ET ALIORVM ECCLESIASTICORVM

MAGISTRORVM QVORVM DAMVS

RAVENNENSIS

AVGUSTINVS

AVGVSTINVS

IN PEO LXV

II NOV. MARTII INCURIT

STA CAUSA ET QUAE

DICATA CONSTAT

MARKEMILIANO

HONAB HONAB

DRESDA

TYPI BERGHAUS

1652

M. DC. XLIX



(O) (O) (O) (O)

†

AD CELSISSIMAM
SERENITATEM.

Est tandem Patria, quod Tibi,
Domuique Tuæ, Celsissime Elector, ac Illi
Ipsi bonum faustumque sit, voti sui damnata,
& quod à Deo immortalis, quasi manu facta, preci-
bus ardentissime precata hactenus est, ut dies ille, qui
non forte casu, sed numine quodam Principem ter-
ris dedit, iterum sic, uti Tu mereri videbaris, hoc est,
fauste atque feliciter, & quæ summa tandem votorum
omnium fuit, compositis bellis tristissimis, reductaque
per Orbem Romanum ac stabilita pace, denuò illu-
cesceret, illud quoque abundè, ut omnia, jam tenet.
In quo id etiam à Datore omnium bonorum largis-
sime datum concessumque est, ut vehementer & dole-
ant invidi, & gaudeant boni: cæterum quicquid
providentissimæ curæ Tuæ subjectum atque regimini est,
undiquaque lætitiâ, plausu, faustisque ominibus strepat,
lætetur, imò tripudiet atque exultet. Quapropter
non poteris non, Princeps Clementissime, benignè dare
veniam, & pietatem meam probare, si ego in publi-
câ hâc lætitiâ atque adeò inter ipsa hujus temporis
festa gaudia, neque torpere sedulitatem meam patiar, &
ultrò jam, ac spontè, concitatus solò devotissimò af-

B

fectu

fectu per medios gratulantium coetus erumpens in augustissimum Tuum conspectum proflire coner, ut veneratus coram religiosissime dulcissimum Patriæ pignus, Tibi de faustitate hujus diei, ipse ovans gaudio, ac lætabundus, declamatiunculâ aliquâ, omni licet verborum ornatu ac lenociniis tanquam veste nudatâ, piè atque devotè gratuler. Quemadmodum autem iis solet accidere, qui in solare lumen intuentur, ut illico sibi infringi oculorum aciem sentiant; Sic mihi quoque usu in præsentiarum venire intelligo, ut simul ad Te, Auguste Princeps, quem Patria, quem **Univer-** sus Orbis Christianus ceu solem suum deveneratur unicè, atque colit, mentem converto, subito omnis ejus vis obtundatur usque adeò ac decidat, ut ad hos tantos ausus sese attollere vix valeat; Præcipue cum facta ingentia pari sermonis genere æquari posse planè desperet. Atqui cum sciam Deum ipsum, Deoque proximos Reges, Principes, magis devotâ mente, quam pompâ verborum capi solere, tantò majorem concipio spem, fore abundè aut indulgentiæ aut veniæ locum, si in negotio persistam, & quod huc facere videbitur, humili quamvis, & longè impari orationis genere persequar. Concedes igitur, Potentissime Ducum, ut ostendam Te TIBI, ut curriculum vitæ factorumque tuorum cursoriâ quasi celeritate, ver-

bisque

bisq; quàm fieri potest paucissimis (ne prolixa garrulitas publici gaudii moretur impetum,) relegam, actisq; ac eventibus consilia quoq; rationesq; ac causas adjungam; quæ nisi allatæ, ac explicatæ fuerint, neq; res, neq; ingentes illas virtutes Tuas licebit perspicere. Est illud quâdam Fatorum lege cunctis annatum mortalibus, ut id tantò lubentius imitentur sequanturq; quod animos eorum magnis autoribus subit. Quæ quidem res, ut justam rationem in privatis quibusq; habet, apud quos incredibilis ad virtutem stimulus posteris esse solet, majorum præclara facta tanquam faces prælucentes habere: ita in Principibus Heroibusq; maximis tantò major hujus rei observatio existit, quòd hi, quicquid faciant, præcipere quasi ac pro exemplo tradere successori quisq;, ac posteris suis videntur. Quò magis in spem humillimam venio, non Tibi modò, sed Illustrissimis Celsissimisq; Filiis quoq; atq; Nepotibus Tuis, neq; ingratam, neq; inutilem planè fore operam hanc nostram, cum cœlestissimas illas virtutes Tuas relatas hîc legent, cum intuebuntur omnis exempli documentum in illustri positum, ut inde sibi, quod imitentur, capiant, quæ repræsentent, belli pacisq; decora cum maxime discant. Quantum ad me pertinet, enitar omni ope, ut oratio mea nullò fucò, nullâ cupidine, nullâ honoris neq;

gratiæ ambitione, quorum causas procul habeo, la-
 bore; sed veritate, fide, pietate constet, tantumque
 absit ab adulationis specie quantum, a necessitate ipsa ab-
 est. Qui scripta veterum historiasque assiduevolvunt, vix
 ac ne vix quidem ex tot innumeris penè Regibus Prin-
 cipibusque se reperire quendam posse ajunt, cujus gloria
 atque virtus, licet ad summum usque ascenderit, nullo
 tamen infamiæ vitiorumque confinio læderetur. Illuxit
 quis virtute, qui tamen generosâ stirpe quod caruit
 populo suo debuit contemptum. Alius nobilitate
 generis per tot decora majorum ad se devolutæ, suâ
 ipse turpitudine dedecori fuit. Sunt quibus pax
 gloriam; sed non & bellum peperit; & rursus in-
 gentibus viris sapius defuit ars, quâ cives regerent,
 quàm quâ superarent hostem. Quosdam felicitas;
 at non & fides honestavit atque religio. Alius amo-
 rem clementiâ, sed invidiam intemperantiâ adeptus est.
 Illum foris clarum, domestica destituit fortuna; &
 cui nihil ulla in re defuit præter sobolem, orbitate ta-
 men suâ infelix fuit. Adeo tandem nemo adhuc
 exstitit, cujus gloria atque laus nullâ vel vitiorum, vel
 fortunæ labeculâ obfuscaretur. Tibi, Principum
 Maxime, quanta harmonia, quantumque concentus om-
 nium laudum omnisque gloriæ obvenit? Sive enim
 genus Tuum, quò illustriore nemo adhuc usus est, sive
 dexteri-

dexteritatem consiliorum, & illam bello paceq; partam gloriam, tum cæteras quoq; illustrissimas virtutes Tuas, deniq; conjugium tot filiis, tot filiabus, nepotibusq; ac neptibus illustrissimis maximæq; spei fœcundissimum intueor, nonne hæc omnia laudatissimum felicissimumq; Principem longè latèq; probant, loqvuntur, ostentant? Paterna Tibi stirps Regia est, Materna ab Electoribus orta, quarum hac Tibi ipse æqualis es, illâ & Te, & alios ordinis Tui superas. Quis nescit VVitikindum Regem Saxonum? Inde Domus Saxonica, unde Paterna Tibi origo fuit. At Brandenburgica inter Electores exsplendescit, cujus gentis fuit mater? Est ergò in genere & Majestas Regum; quæ plurimum inter homines pollet, & Electoralis quoq; dignitas, quæ huic comparatur, aliquando & antefertur; ac ne de Cæsareâ nunc quicquam disimulem, ab eodem VVitikindo trahunt originem suam magni illi, & à tot maximis scriptoribus decantatissimi Cæsares, Henricus cognomento Auceps, atq; Ottones illi tres, primus seu magnus, secundusq; ac tertius, ut de aliis taceam. Jam si hîc genealogiam Tuam enerrare, si de Parente Tuo Christiano primo, seu Sapiente; de Avo Augusto Pio; de Atavo Henrico Prompto; de Abavo Alberto Animoso, de Tritavo Friderico placido, & sic porrò ad com-

C

munem

munem usq̄ quem dixi, gentis propagatorem Regem illum Magnum sermone ascendere, ac tam eorum, qui hunc antecesserunt Regem, Sighardi inquam, Dieterici, & proximi huic VVernikingi Principis, quam qui sunt infecuti, persequi illustria facta instituerem, nonne seculis mihi opus esset, & innumerabilibus annis, & quantâ Tu dignus ætate? Quare sufficit, si hoc unum addiderim, quod mecum liberò ac unò ore omnes gravissimi autores ingenuè sunt confessi, ut sive rem militarem, sive alias laudes, gravitatem inquam, magnanimitatem, animi constantiam, humanitatem, addo etiam religionem pietatemq̄ in Deum ac Imperium spectes, vix reperias, cujus tam excellens virtus fuerit, ut sit cum laudatissimâ Domo Saxonica conferenda. Verum hoc Tibi fortassis, Ducum Maxime, cum aliis, aut Tui, aut alieni stemmatis Principibus ex æquo contigit, quòd facilius sit, Principes nasci, quam fieri, successioneq̄ nominis, quam virtutis æmulatione originem testari. Sed præclarissimum, & longè pulcherrimum Tuumq̄ planè illud est, quod factis immortalibus majorum gloriam aut æqvasti, aut etiam vicisti; ut meritò ambigam, majorne sit gloria, quam generi Tuo circumderis ipse, an illa, quam inde acceperis. Neq̄ etiam contentus generosum natalium splendorem egregiis

gūis servasse exemplis, ipse eum propriis virtutibus reliquisti clariorem multò, multò luculentiorē. Ut placere sibi perversæ gravitatis suæ officiiis desinant, qui sine propriâ virtute, factisque incomparabilibus, majorum tantum nobilitate se tueri volunt atque inclarescere, imaginesque avorum meritum suum interpretantur. Adjice eâ, quæ ab natura Tibi contigerunt bona, quòd ingenium nactus divinum, acre, excellens, aptumque ad res optimas, imprimis eas, quæ Principem decent; memoriam præterea inusitatam ac ferream quasi, tum dignitatem corporis decoramque speciem, non contemnendam Principum laudem, tamque augustum, & plenum divinitatis vultum, ut qui aspiciat fortè, ac intueatur, ei repente labefactetur omnis animi vis haud aliter, ac percellatur, atque solis sereni nitore eorum oculi solent, qui obtutu immotò radiis tam potentibus nequicquam obluentantur. Adde lacertos, & nervos, & florentissimum membrorum robur, & si quæ alia sunt, quibus sanitas corporum firmitasque censerit lolet. Quæ omnia tam præclara insigniaque in te, ut dare exempla etiam possint. Non alienum erat referre hoc loco, quemadmodum educatus institutusque, quibus pacis belli que artibus innutritus fueris, cum à primâ juventute imbuereris disciplinis Te dignis, & modò inter concursus strenuæ juvenitu-

tis armis certares aut gladiò, nunc eqvo alacri, ac de-
 spumanti decurreres stadium, adversariumq; ferires lan-
 ceâ, & ictus fervidos vel ipse inferres, vel declinares
 atq; excluderes; omniaq; strenuissimè acerrimèq; fa-
 ceres, quibus Principem, populi gentiumq; rectorem
 tam in bello, quam in pace aliquando usurum instru-
 ctumq; esse oportere haud ignorabas. Quid de
 cæteris exercitationibus tuis memorem? Præcipuè
 per saltus, densaq; sylvarum ires, in nive, in æstu,
 nunc cervi acripedis legendo vestigia, nunc vestigando
 aprum fulmineum, inventumq; ferro interimendo,
 cum bestiis fugacibus cursu, cum audacibus fortitudi-
 ne, cum versutis sagacitate dies noctesq; assiduè cer-
 tans? Licebit & iter tuum relegere, quod per Itali-
 am, lumen illud terrarum orbis, non voluptatis cujus-
 dam, sed eâ potissimum causâ suscepas, quòd judi-
 cares; æquum esse, qui præesse populis nutu divino
 ex officio aliquando deberet, externos illum adisse
 antè, legesq; eorum ac instituta, tum rationem viven-
 di, ac mores ingeniaq; addidicisse. Inde enim pa-
 rare sibi variarum rerum usum, inde exemplis pluri-
 mis & saluberrimis instruere pectus, & disciplinis iis
 locupletare ad omnem prudentiæ habitum animos,
 quarum copia domi in promptu semper haud est. Ac
 cum mihi si aperirem campum, dicendum esset, quam
 ingenti

ingenti ubiq; locorum æmulatione ac gaudio, quanto honore ac studiis, exceptus, habitus, nec nisi ægrè dimissus fores. Sed ad majora & potiora mihi properandum est. Igitur postquam ad Rempublicam accessisti, Princeps Potentissime, quæ gloria, quanta laus, quæ dignitas Te excepit dicam, aut comitata est; Ac primò quidem illud prætereundum haud est, quod vix sex integros menses præesse regimini coeperas, cum statim Vicariatus, quem vocant, Imperii, potestati Imperatoriæ suppar munus, acquiescente laudatissimo Cæsare Rudolpho hujus nominis secundo, Tibi obeundum venit; Cum imperium in sinu tuo, tanquam apud sequestrem sanctissimum latuit, custodiendum tutandumq; cum cura, donec in successoris legitimi manus traderetur. Quod ipsum quantâ cum fide, quantaq; cum laude præstitisti? Enimverò si difficilius est unò die interregno præesse, quam integrum annum clavem moderari regiminis; tantò majore dignus es gloria, quò plus laboris sustinendum tum tibi; quò plus sollicitudinis molestiaq; exhauriendum fuit. Ita profecto habeo, & meum induco animum; si unquam provincia ista magnâ arte, magna prudentiâ administranda fuit; tunc certè fuit: ita omnes bellum, omnes, inquam, bellum spirabant, occasionem ejus arrepturi avidiùs, quam cautiùs; mox

D

obruen-

obruendi illò ipso incendio, quod excitassent. Fu-
 re itaq; exclamare posse videor, nihil Tibi vel ad glori-
 am uberius, vel pulchrius ad laudem honore istò ex-
 stitisse. Erat quidem inter Te, & Celsissimos Do-
 minos Coelectores, vivò adhuc Rudolpho, comitiis
 illis Electoralibus, quæ mense Octobri præcedentis an-
 ni Norinbergæ celebrata fuerant, sic constitutum, fo-
 re è Re communi, ac emolumento Imperii; publi-
 cæq; tranquillitati persalutiferum, cum ab tanto dissidio
 Principum non modò, quod tunc denuò quasi pullu-
 lare incipiebat, nil nisi funestum ac triste; verum ab ho-
 ste quoq; Turcâ tam magnum, ac grave immineret
 periculum, quantum vix unquam timeri posset, ne in
 incerto successor esset; quærereturq; ac eligeretur ma-
 turè, qui clavum susciperet, & ne quid caperet detrimenti
 Respublica in tempore provideret. Eiq; rei dies vige-
 simus primus Maii conveniendi Francofurtum jam di-
 ctus erat. Sed præverterunt fata consiliis, finiriq;
 Rudolphum contigit antè, quàm dies veniret. Qui
 cum venisset, magna deliberatio incidit: & multa e-
 rant, quæ non nequicquam moram viderentur objicere.
 Prævaluit tamen salus Patriæ urgentissima rationum, &
 cui reliquæ libenter cedunt. Ivisti igitur simulq; ve-
 nerunt Coelectores cæteri, solo Brandenburgico exce-
 pto, qui per Legatos comparuit. Erant tecum aliquot
 equi.

equitum turmæ, lectissimaq; procerum, ac amicorum
 manus, quibus stipatus cum ingredereris urbem, quis
 omnium plausus, quæ festa te excepit hilaritas? Vi-
 didisses ætatem omnem ac sexum ruere foras, implere ur-
 bis itinera, tripudiisq; ac bonis ominibus strepere latè?
 Vididisses ut Te viderent, accurrere parvulos, appropere
 juvenes, arreperere fessos ætate senes, voce gestuq;
 profiteri lætitiã, faustisq; nominibus Te appellare
 Principum Decus, Te Columnen Clypeumq; Imperii,
 Te Libertatis, Te Religionis, ac Fidei Arcem & dicere
 pariter ac demonstrare. Ipsa verò Civitas tantò ma-
 jore gaudio, tripudioq; exultare videbatur, quòd Eum
 præsentem intueri licebat, atq; conspiciere, quem non
 inferiorem ducebat illis, quorum virtute ac vigiliã
 nomen Romanum aut servatum, aut propagatum tan-
 tis auctibus hæctenus fuerat. Jam quod certamen
 Archiprincipum? Quæ æmulatio Celsissimi Collegii,
 quam pius livor, quibus alter ab altero modis præstan-
 do Tibi honorem officiisq; præverteretur? Ac videba-
 tur tunc Tibi merito Tuo deberi Imperium, nisi Tu
 reddere, quam retinere, taleq; populo Christiano eli-
 gere Caput maluisses, quod eã tempestate omnium
 judicio summè idoneum & erat & existimabatur, Mat-
 thiam dico, florentissimum Hungariæ Bohemiæq; Re-
 gem, Archiducem Austriæ, omni laude dignum, ju-

xta atq; majorem. Quis eò validior viribus, qui
 post Bohemiæ Ungariæq; amplissima Regna, tot di-
 tiones provinciasq; possidebat? Quis ditior illò,
 atq; ad tantam dignitatem sustinendam locupletior,
 qui opum divitiarumq; magnitudine omnes reliquos
 Imperii Principes superabat? Quis meritis Majorum,
 autoritateq; propriâ splendidior, qui geminus Rex &
 Septemvir & Archidux erat? Quis virtutibus, quæ
 summæ in eo & tantum non cœlestissimæ erant, augu-
 stior, ut meritò ambigam, virtutenè Matthiam, an
 opibus divitiisq; præstantiorem pronunciem. Itaq;
 non tam opus erat, qui eligeretur quærere; quàm
 incunctanter hunc legere, qui ante alios mereretur.
 Quæ post deinceps evenère, deslenda magis quàm com-
 memoranda laudandavè fuerint. Et fatius esset,
 filere penitus, nisi ex se calamitates magnæ loqueren-
 tur. Versat perpetuò orbis quidam humanas res:
 & quæ in summo steterint mox decidunt, ut aliquan-
 do rursus emergant. Quæ vices ut à virtutibus vi-
 tiisq; regnantium trahunt plurimum, ita ad Deum refe-
 rendæ imprimis sunt, qui ut populum quemq; aut gen-
 tem pro meritis suis aut amat aut odit, ita eidem vel
 felicitatem impertit, vel clades immittit. Nunquam
 diversa inter se fatis concinunt: & inter dissidia reli-
 gionum vix stabilis perpetuaq; Concordia est.

Nec
nudius

nudiustertius demum hoc malum nos premit: & diffidentiam istam diversos ritus sequentium, nescio quicum Pessimo Patriæ alere fovereque magis, quam tollere atque relinquere, quod debuissent, studuerunt. Ac quamvis ei rei ut quaereretur remedium, Comitia sequenti proximè anno Ratisbonæ indicerentur, frustratâ tamen Imperii spe, reque planè infectâ discessum est. Lubet hîc interponere, quamvis sejunctum à re propositâ videatur, diffidentia quantæ calamitati esse soleat, nisi ei maturè eatur obviam, & auferatur planè, quo magis prudentiæ Tuæ moderationisque maximum donum clarescat, qui & fœderum, quæ inde oriri videbantur, dissuasor acerrimus, & reconciliator non unâ voluntate sentientium laboriosissimus semper continuo exististi. Hæc enim ut ingentium sæpè Imperiorum Regnorumque destruxit res: ita numne Germaniæ nostræ quoque exitio fuit propemodum, & tot calamitatum, quas ultimas omnium sumus perpeffi, præbuit causam? Erat nonnullis è Protestantibus, non illis quidem veteribus, & qui superiori seculò in augusto Caroli Cæsaris illius Magnanimi Confessu, ac Comitibus Augustæ Vindelicorum habitis Confessionem suam voce Præconis publicè ediderunt, exhibueruntque, atque posthæc eo nomine audire cœperunt; sed novis Calvinii opinionibus imbutis, seu verâ seu falsâ suspitione persua-

E

sum

sum impressumque, id nimirum agere Papisticae Religioni addictos Principes, ut exequerentur Concilii Tridentini decreta, neque hæreticis (hoc enim nomine alteri Religioni deditos appellabant) fidem fervarent, quod pax Religionis, Pragmaticaque illa, ut vulgo appellatur, sanctio, sive Lex perpetua, post Tridentinum Concilium, nullam amplius haberet vim, sed tolleretur penitus ac deleretur.

Quo facto, cum timeret altera pars, altera timeretur, Deus bone, quæ animorum alienatio, quæ diffidentia non utrinque indies & nata & aucta est? Donec ab hac parte Halæ Svevorum in fœdus aperte itum est, cui quantam struxerit causam sancta ille Pontificiorum Liga, in quâ præter falsi nominis titulum, nihil sanctum, nihil religiosum fuisse, verè omnino dixerit, quicumque dixerit, attingere jam lubens supersedeo.

Cui quidem seu fœderi, seu pactioni, Unionis nomine posthac venienti, nomina dedere sua unus ac alter Electorum haud tantum, sed aliorum quoque Ducum, Principum Comitumque haud pauci. Te quoque, potentissime Electorum, ut in societatem fœderis hujus traherent, Deum Immortalem, quibus hortationibus, quibus persuasionibus, precibusque ac obtestationibus usi non sunt? Sed tantum abfuit, ut sapiens illud & constantissimum pectus Tuum patereris moveri; ut obfirmaris contra animum potius magis

ac

ac magis, quem dudum ab omni factione quam alienissimum ostenderas, & confederationes hujusmodi plenum periculosissimæ aleæ opus existimabas; rectè omnino prudenterq; ac piè. Neq; enim aliter cum iis comparatum esse solet, qui dubiis istis discordiarum civilium fluctibus sese dant, quam cum illis consuevit, qui maris jactantur aestibus, ut, cum velint, in suâ potestate amplius non sint. Demus hoc quidem, defendendi sui causâ fas esse, conventus peragere, sancire fœdera, pactiones inire; id enim omnes humanæ divinæq; leges quandoq; permittunt; At verò, per Deum Immortalem, quam prona est à defensione ad offensivam via? quam facile hic, ut offendat, alter ut offendatur, abs se impetrat? Et scissò semel in partes Imperio, quam expeditus ad bella transitus est? Contra ea quam prudentissimè fecisti, Ducum sapientissime, quòd non tantum fœdera, quoad fieri potuit, singularia, tanquam animorum divulsionis dissipationisq; futuræ certissima argumenta, vitasti sedulò; sed & non nisi maximâ atq; exploratâ de causâ, quanquam & sic invitus propemodum, huc devenisti, correptis armis. Quod, quam verissimè à Te fuerit judicatum, justissimèq; factum, vel ipse exitus comprobavit. Adeò enim intra fœderum pactiones diu stare animorum hæc convulsio non potuit; ut potius brevi tempore ad ju-

stam belli vim demum fit progessa, initiis ejus in inferiori ad Juliacum, itemque superiori Germaniâ per Alsatiam commissis. Quibus non tam sopitis, quam

ad tempus sepositis, mirum quanta haud multo post inter Cæsarem Matthiam Bohemiæque regni Proceres incendia denuò sunt infecuta, exortò, dum ipse Cæsar abesset, infelici ob Religionis turbatam Libertatem Pragæ tumultu;

Quo nonnulli nescio an meliore jure, an periculosiore exemplo, è fenestris veluti de Tarpejo monte dejecti ac deturbati sunt. Quod factum,

incredibile dictu, quos quantosque motus longè lateque excitaverit. Confestim enim ordo hominum omnis, ad arma currere, nominare duces, exercitus legere, conferreque in æraria sumtus, denique belli illius, quo

non Bohemia tantum, aut ei confines provinciæ, sed totum (proh dolor!) Romanum Imperium, sed Univerſa Europa, sed omnis penè terrarum orbis ardentissime flagravit hæctenus, & tantum non penitus interit, primam aleam jacere. In tam ancipiti & turbulentissimo rerum statu, quid faceres multo providentissimus Elector? Satis prolixè quidem prospiciebas, conjiciebasque prudenter, incendium istud intra regni Bohemiæ fines non deflagaturum; sed in vicinas quoque provincias, totumque, quâ patet, Orbem Romanum, Regnaque confinia sparsurum latè inimicam flam-

mam,

nam, & atrocissimorum bellorum fomitem. Itaque bonum Patrem familiam imitatus, qui emicantem scintillam cum notat est proximo, rem suam agi, idque sibi curam dandum intelligit, ut quam citissime periculo occurrat, prohibeatque, ne incrementa ac vires fumens latius evagetur incendium, omnemque viciniam comburat celerissime, & in favillas atque cineres redigat: Ita Tibi quoque, O Pater Patriae, in publico hoc belli turbine quiescendum minime, quin potius id, quod Tui esset muneris, fideliter obeundum exequendumque statuisti. Neque enim vel rogando, dissuadendo, aut interponendo quicquam faciebas reliqui, quod ignis hic, priusquam invalesceret, mature extingueretur, Regi cum subditis conveniret, & nobilissimum regnum ab imminente interitu vindicaretur. Dubito autem, hinc prudentiamne Tuam, an Dexteritarem magis mirer? Ita enim Te Serenissime tractabas Elector, ut magnam non apud Caesarem modo, sed universos quoque Imperii Principes, sed Proceres Bohemiae, integritatis gravitatisque laudem consequeris, unusque adeo cum Sociis Electoribus Moguntino, Palatinoque, idoneus maxime, dignusque existimare, cujus arbitrio tantae lites componendae definiendaeque ab iis, quorum intererat, committerentur. Et jam per literas quoque conventum in Oppidum Egram eam de causa Bohemis indixeras, cum ecce de im-

F

proviso

proviso ipse Imperator Matthias Bohemiæ Ungariæq̃
 Rex fato fungitur. Quò factò, iterum Germania
 Capite suo atq̃ Rectore orbata in sinum Tuum tan-
 quàm in portum salutis tutissimum, jam antè nimis,
 & nunc in novis fluctibus laborans, confugit. Hæc
 altera honoris Tui insignis accessio, quod secundi vi-
 cariatus munus, ipsaq̃ Imperatoria quodammodo di-
 gnitas (quàm parùm enim ab eâ differt?) Tibi ob-
 venit, gloriosior tantò illustriorq̃ priori, quò majus
 funestiusq̃ bellum Germaniæ imminere atq̃ ingruere;
 civiliaq̃ arma, civilia, inquam, arma, quâ solâ voce nihil
 tristius, nihil horribilius dici cogitarive potest, non tam
 tumescere, quàm penè erumpere videbantur. Itaq̃
 quod muneris Tui exigebat ratio, literas statim diplo-
 mataq̃ quaquà evulgabas, quibus, post deducta circa
 vacantis Imperii administrationem, Vicariatusq̃ Tibi
 ac Palatino Electori competentis jura, omnes Imperii
 Principes, statusq̃ hortabaris, quietè ac tranquillè a-
 gerent, nemo alterum læderet, aut si cuiquam quid
 tale accidisset, Tibi simul ac Palatino negotium expo-
 neret administraturis justitiam, ubi opus videretur.
 Præcipuè verò omnem in motus Bohemicos intende-
 bas animi aciem, & de sedandis iis ac componendis
 quamprimùm dies noctesq̃ agitabas Tecum assiduè ac
 deliberabas. Probè enim videbas, quantum peri-
 culi

culi inde atq; discriminis in universam Imperii immineret corpus, si dimanaret labes & vicina quoq; corripere-
ret. Jamq; sedebat animo planè, non Te passu-
rum, ut in futuris Comitibus de novi Capitis electione
antè fieret mentio, quàm controversiæ Bohemicæ aut
essent sublatae penitus, aut ita compositæ, ut liberta-
tem suffragiorum nihil impedituræ viderentur, Quæ
illa unica ratio erat, quâ potuissent non modò tot pe-
riclitantium fervari fortunæ; sed ipsa compages Impe-
rii illæsa ac integra præstari. Sed obstruente fato
aures, veris consiliis locus non erat; fabricabatq; tum
Numen iratum in scelera nostra illud ferale ac dirum
fulmen, quod longè lateq; sævit hætenus, tristissimisq;
ruinis involvit omnia. Ita igitur factum est, ut
seposito negotio Bohemico, Potentissimus Hungariæ
Bohemiæq; Rex, Ferdinandus II. Archidux Austriæ in
Imperatorium Solium communi suffragio eveheretur.
Quamvis enim non ignorares, quæ secuturae tempesta-
tes essent; non separanda tamen existimasti consilia
Tua ab illis, qui in eadem navi vehebantur: ne hæc
distractio novis suspicionibus, & istæ motibus novis
darent causam. Eratq; tum consentire cæteris non
ita difficile, quòd non de personâ, quæ deberet eligi,
sed tempore quò eligeretur, dubitatio hætenus inci-
derat. Tantumq; abfuit, ea ut res, aut gratiam

Tibi aut fidei opinionem minuerit, ut auxerit potius, cum gravitatis alterum, & lenitatis alterum esset, quâ cæterorum consensui cedendum Tibi existimasti. Quid quod hanc laudem mox aliâ amplificasti nobiliter, cum quem cunctantius elegeras, tam fortiter atque constanter defenderes electum. Ego verò cum temporis illius Historiam repeto, sic existimo, atque sic animum induco meum, Te solum propemodum existisse, qui intelligere videretur, ecquid turbante magis magisque Bohemiâ, distractisque, ut antè diximus, in diversa studia animis, quid, inquam, Cæsari, quid Imperio, quid Patriæ deberetur? Non minuebantur in Ferdinandum, quem Regem Bohemiæ Proceres non agnoscebant suum, in Cæsarem electum querelæ illæ hucusque congestæ; augebantur indies, neque ullâ aliâ ratione ipsis in pristinum erigi posse pressa videbatur Libertas, quam aliò suffectò, qui caperet Rempublicam & pacta conventa Regnique leges assereret. Quâ cum de re mature iniissent consilia, & diligenter deliberassent, tandem Tu, Potentissime Septemvir, præcipue dignus visus es, qui tanto Regno præficereris: Idque ut paterere, & fusciperes delatos fasces, mox literis Tecum agebatur. Est Regnum, ut ille ait, res inter Deos hominesque pulcherrima, quam omnes concupiscunt, affectant omnes, plurimi etiam avidius quam

par

par est, & tantum non rapiunt. Bohemia autem, quem illa non alliceret, ac invitaret, tam læta tam felix frugum fructuumque tellus, ut cum aliis habitati orbis regionibus illustribus maximè, & fœcundissimis certare possit? Nam quot quantæque in eâ opulentæ magnificæque exstructæ urbes; inter quas Praga tanquam Regalis Civitas omnes reliquas amplitudine pulchritudineque antecedit? Terra vallata undique montibus, discreta sylvis, irrigua fontibus pellucidis fluminibusque; in quibus Albis navium onerumque patiens celebris maximè fertilissimos agros, & culta pingvissima interlabitur. Quid de occultis auri venis, quas ibi fœcteris, quid de argenti, de plumbi ac ferri copiâ, de aliis rebus optimis, quibus hæc regio beatissimis terris aut superior existit, aut certè æqualis, commemorem? Quid de incolis animosis illis frequentibusque, & qui ex opibus ipsis ac ferro spiritum sumunt? Quid de reliquis huic Regno connexis incorporatisque provinciis illustribus multò amplissimisque, de Moravia, inquam, nec non Silesiâ, & quæ ad idem tunc pertinebat corpus, nunc autem ad Te, tanquam verum suum atque Hæreditarium Dominum, (quòd eandem ipsi quondam Reges Saxonæ habuerint) jure quasi postliminii rediit, Laufatiâ dicam? Sed nihil horum sapientissimam illam gravissimamque & adversus omnem ambitionem in-

G

victam

victam mentem Tuam movere ac flectere potuit:
 tantumq; abfuit, ut quæ offerebantur, admitteres, ut
 rejeceris potius magno animo, & offerentibus auctor
 atq; hortator exstiteris, omitterent arma, ponerent si-
 multates, redirent cum Rege suo in gratiam pactioni-
 bus æquis, quò suus honor Cæsari, majestas Imperio,
 pax atq; tranquillitas Patriæ redderetur. Hoc multò
 fatius, hoc ipsis dignius fore, quàm pervicaciter cœpta
 persequi, armisq; movere atq; miscere omnia; quorum
 fortuna incerta sit, & tristior plerumq; quàm existima-
 tum initio, eventus. O divinam moderationem,
 ô pietatem planè inauditam! Quæ non trabibus,
 aut faxis, sed monumentis æternæ laudis mereretur
 incidi, celebrariq; & vehi per secula omnia, ut quæ
 tam rarò evenit, semper duret. Non suam cuiquam
 laudem, quam meritis, demere aut imminuere animus
 est: Cæterùm hoc verè asseverare posse videor, nullum
 alium Principem, majore fide de Cæsare, deq; tran-
 quillitate publicâ meritum. Quamquam in eo non
 moderatio tua tantum & gravitas, sed & justitia su-
 spicienda admirandaq; est. Enimverò si jure priva-
 to cautum est, ne quis defensione spolietur suâ con-
 demneturq;, antequam citatus compareat, & convin-
 catur de crimine; quantò magis in Principe, in Rege
 observari id debet, atq; caveri adeò summopere, ne
 indictâ

indictâ causâ, non fundo ac possessiunculâ aliquâ, super quâ controversia orta sit, sed regnis integris ac sceptris excidat? Quod ut exempli pessimi est; ita ne invalescat usu, omnium Regum, omnium Principum, aut qui summi Magistratus officio funguntur interesse, & semper olim, & etiam nunc existimatur. Quapropter in tam difficili ac arduâ causâ id magnopere egisti, Summe Principum, ut inciderentur potius lites quàm ut turbulentis consiliis, aut aliud quodvis moliendo res magis magisque turbaretur. Prudenter ratus, fatius fore nunquam cum superiore legibus disceptare, quàm excitato igniculo venire in flammam. Quin adeo reverenter habendum Magistratum, ut pro ejus Majestate non bona, non fortunas tantum; sed sanguinem quoque, ac vitam ipsam profundendam arbitrâre. Quod quidem maximopere testatum reddidisti in conventu illo Mulhusiâno, anno secundo post obitum Matthiæ Imperatoris habito, cui præsens unâ cum Sociis Electoribus, Moguntino, Colonienfi, & Landgravio Hassiæ, ut & Trevirensis Bavariq; Legatis interfuisti. Decretô ibi factô, ut collatis communibus viribus Ferdinando Cæsari præstarentur auxilia, conservaretur Majestas ejus, & regna provinciæque ab alienatæ ab eo, & nunc ab alio, cum repudiasset, avidius quàm circumspectius arreptæ & occupatæ, vindicarentur

carentur. Hinc collectis copiis cum in Lusatiâ
 superiorem movisses, eamque oratione potius, quam ar-
 mis reconciliare studeres, sola fuit, quæ tantis conati-
 bus obstetit, Budisina. Quâ celeriter ereptâ, expu-
 gnatâque, vix in Silesiam armatus perrexisse visus es, &
 universam sic perpacavisti, ut non tam vi atque gladio,
 quam exemplo ad officium reducta censeretur. Ex
 quâ re mirum quantum momenti ad Cæsaris res ac-
 cessit. Ac ego quidem haud futiliter conjicere mi-
 hi videor, hanc solam, si continuasset armata resiste-
 re, frenum quasi injicere potuisse conatibus Cæsaris,
 ne eò progredierentur ejus res, ut & finitimis Regibus
 formidabiles maximè viderentur. Nam quotus-
 quisque nescit, quàm ampla, quàm potens, divesque Pro-
 vincia illa sit, quæ longitudine suâ quadraginta circiter
 milliaria: latitudine verò viginti quasi Germanica, &
 in his quatuordecim Ducatus complectitur, gentemque
 alit & plenam animis, & numero validam: tum Li-
 bertatis suæ, si ulla alia, memorem perquam & stu-
 diosam. Hanc itaque vel laceßere saltem, nedum
 aggredi, Bone Deus! quantum fuerat? Et tamen ita
 aggressus es, Elector Victoriosissime, ut simul fama tu-
 orum armorum atque successuum; simul terror ingens
 ac ipse Pan, quod dicitur, ad intima Regni penetraret.
 Quapropter cum portum tutissimum poenitentibus mu-
 tationem

tationem consilii judicarent, exuere mature arma, rogaverunt pacem juxta ac impetrarunt. Neque enim id Tuæ, Domine, virtuti convenire existimabas, ut extingueres populum nobilissimum, atque deperderes, sed ut cogeres ad officium redire peccantes, & ita servares, non ut acquirereres Tibi aliquid, limitesque produceres, sed ut restitueres aliis, quæ ipsis contra fas omne, omne justum ac æquum erepta essent. Atque id ipsum ego longè gloriosius, laudabiliusque esse pronuncio quàm cum injuriâ aliorum suas augere opes. Etenim fortunis suis contentum esse magni cum primis & moderati animi est; at verò in aliorum possessiones suas immittere manus, avaritiæ impotentiaque notam non usquequaque evitat. Quò magis summa illa, & planè incredibilis, Elector piissime, in Cæsarem observantia Tua, illudque singulare, & inusitatum prope modum fidei exemplum nobis prædicanda sunt. Nutabant plerorumque animi, & si non aperte, occultè tamen Cæsari infensi erant. At verò Tu, Princeps Elector, non verbo tantum ac dicto, verum ipsa re quoque ac opere vel palam testaberis, quantam fide in Cæsarem, quanto studio salutis publicæ esses addictus. Quam quidem in eo vel maximè sitam cogitabas, si ab armis quamprimum cessaretur, reprimerenturque motus omnes, ac turbæ, & suum cuique redderetur.

H

Qvo

Quò ipso hoc præclarissimo exemplo Tuo, Domine,
 moti, qui Unistarum nomine exercitum justum huc-
 usq; aluerant, arma citò deposuerunt, foedus dissolve-
 runt, Constitutionibus ac Legibus Imperii, prout par-
 erat, se subjecerunt. Ex hoc igitur, ex hoc illustris-
 simo egregioq; planè facinore Tuo ducendum initium
 est omnis illius felicitatis, atq; magnæ fortunæ, quæ
 tot regna, tot provincias, Ducatus ac Episcopatus ad
 ipsos decem annos cum armis ac ferro eunti Cæsari de-
 dit. Taceant igitur ac recedant nunc maximi Pon-
 tificiorum Principes, & illi, qui jactant magnopere
 Imperio servatam fidem. Nihil enim huic simile
 unqvàm præstiterunt, si quid præstiterunt. Non
 qui Ecclesiastici Ordinis sunt; ac neq; qui seculares ap-
 pellantur: ut si conferre officia cum officiis placeat,
 & aliquam meritorum comparisonem instituere, Tu
 longè universos excellere & antistare videaris. Tu
 Majestatem Imperii defendisti ritè. Tu Decus ejus
 atq; columen exstitisti. Te Cæsar Propugnatorem,
 Te Restitutorem terræ Patriæ regnorumq; expertus
 est. A Te processerunt victoriæ, à Te felicitates.
 Tibi initium debetur fortunæ illius egregiæ: Tibi
 successus. Nec unqvàm à muneris partibus cessavit
 ardor juratus Tuus, quò Cæsari Tuo, quamvis alieni-
 or videri poterat, Te obstrictum memineras. Non
 refricare

refricare nunc libet vulnera vetera, & longum illum malorum retexere ordinem, quæ tum nos implicuerant pessimè, & penitus ferè obruerant. Cum impotentia quorundam atq; furore nullæ amplius essent Imperii leges, nulla libertas statuum, & orthodoxa Religio contra pacta conventa exagitaretur ubiq; & in miserrimum vexaretur modum. Quorum ut nunc perpetua sancita oblivio est; ita & mentio eorum sine impietate moveri vix potest. Atq; hæc omnia sicuti non clam ac in occulto, sed palam exercebantur; ita latere neminem poterant. Imprimis verò Te, Serenissime Elector, non fugiebant. Erat hoc quidem dolori maximo, nec deerant, qui hortarentur assiduè, monerentq; ac instarent, vindicares tandem vel gladio ultore tot atroces illatas injurias, nec sineres tam sævis procellis jactari diutius, quassariq; Ecclesiæ Lutheranæ navem; Quin potiùs pro Patriâ, pro Libertate, pro Deo ipso ac Religione, corriperes arma, & tot annis continuatam oppressionem ulciscereres; quievisti tamen quievisti ô Fidus Princeps, & precibus plenisque reverentiæ monitis potiùs, quàm vi ac armis rem voluisti gerere. Medicos humaniter imitatus, qui non acerbis statim remediis aggrediuntur morbos, & sæpè fatius habent attenuasse materiam moram, ut per se exspiret, ac extingvatur, ne si vehementer moverint, incrementa

H 2

capiat,

capiat & hominem occidat penitus. Quorum instar Lenissimus Elector egregie habuisti, molli manu prius tractare ulcus, & mitiorem medendi viam tentare, quam unctiones statim sectionesque experiri. Cogitabas enim non in ejusdem semper manu suscipere bellum, & finire; nec arma servare modum, aut reprimi posse facile stricti ensis iram, ne omnia cruore perfundat. Quò ne temerè commaculareris, Tibi ut Christianissimo Principi cavendum maximè arbitratus es. Quò ipso tamen nihil volebas aliud, quam ut prolixè ostenderes, si inimicum Adversarii ponere animum, ac desinere vellent malefacere, si vereri jura Deumque, qui hæc humana vigili semper oculo aspectat, bonorum remunerator largissimus, malorum acerrimus Vindex, instituerent, quieturum Te constantissimè, neque fidem ac observantiam Cæsari unquam defuturas. Itaque hæc ipsa de causâ cum esset decretum Lipsiæ (nam gravitatem præterire hinc Tuam quæ possum?) ut quandoquidem neque precibus neque obtestationibus ullus amplius superesset locus, pro Libertate publicâ, pro Religione stringeretur tandem gladius, totum negotium statim exposuisti Cæsari, petisti que eâ, quæ par est, observantiâ, ut de restituendâ per Imperium pace, animum consiliaque quamprimùm indueret; stare conatus tales in præcipiti, maximam omnibus ru-

inam

inam minabundi, quæ evitare non posset, nisi cautum studium, & mitia consilia in tempore adhiberentur. Quod ipsum tamen non ideò à Te factum autumet quisquam, ut stomachum moveres Cæsari; verum ut toti Orbi appareret, quantæ curæ, quantæ sollicitudini Tibi esset, & pax, & Libertas publica. Et cui quæso, potiori curæ esse debuissent tantæ res, quàm ei, qui vel jurejurando obstrictus erat, ut in id unicè incumberet, ne detrimenti aliquid acciperet Respublica, & communis Libertas? Non semel quidem Serenissime Principum, ad societatem foederis à Rege Sveciæ sollicitatus haectenus eras; utpote qui eâ tempestate in proximo feliciter administrabat rem; sed ne quam malæ suspicionis præberes causam, adduci Te non passus es, ut quicquam cum eo paciscerere. Videbatur enim ea res miris difficultatibus involuta. Quamquam enim à Maximo Rege nil nisi optima quævis præsumere Tibique spondere posses: tamen nescio quomodo fieri amat, ut externa auxilia suspecta esse confecerint, cum peregrini suæ rei plerumque, quàm sociorum studere videantur. Sic Græcos à Philippo, Narsetem à Longobardis, Italos à Gothis, alios plures ab aliis auxiliorum specie oppressos legimus. Nec aliâ ratione, quàm ferendo auxilia aliis Romani ad imensam illam potentiam pervenerunt, quod de Atheniensibus

nienfibus quoque Alcibiades apud Thucydidem affirmat. Hæc ipsa & plura alia, cum venirent in mentem Tibi, Consideratissime Elector, efficiebant illa quidem, ut difficilior esses in concedendo transitu Svecicis copiis; Cæterum uti ad fœdus percutiendum cum Rege difficulter persuaderi posses, illa præcipua causa erat, ne videreris fidem, quam dedisses Cæsari, atque Imperio, convellere. Neque demutasses quicquam, quam diu sperari aliquid sani in adversariis poterat; quos cum spretâ omni Religione sacratissimarum legum, pro suâ libidine ferri licenter, omnibusque illudere videres, non quiescendum amplius, ac pertinaci patientiâ irritandam magis crudelitatem; sed pensitandum Tibi stautisti, quid Imperio, quid civibus Tuis Patriæque deberes; præstareque retundere ferociam antè quam se & alios vinceret. O incomparabilem nec unquam satis prædicandam pietatem Tuam! quæ & cessare prudenter, & insurgere adversus hostes, ne omnia miscerent, vexarentque impunè, suo tempore novit. Nam cum jam non itinibus militum gravarentur provinciæ, ut antè sæpius, sed omnia rapinis, stupris, cædibus ac vastationibus implerentur, quin Urbes nobilissimæ occuparentur; ac jam non peterentur tantum Sacerdotum bona, sed ipsæ Principis possessiones vi atque armis invaderentur: ecquid sperandum Tibi videbatur aliud, quam

quàm ut in Te quoque expediretur fulmen, quod prostraverat alios, & jam ereptò patrimonio jam dignitate ipsà omni privareris? Tot igitur malis circumventus, tot tantisque injuriis irritatus, quas omnis ætas mirabitur, ipsos verò facientes in secula pudebit, cum aliter pressæ Libertati Ecclesiæ orthodoxæ succurri posse non videretur, sumfisti tandem arma, & cum Serenissimo Potentissimoque Gustavo Adolpho, Svecorum Rege, foedus percussisti. O novum ac inauditum facinus, ad quod Te non vindicta, non cupiditas, non utilitas propria; sed aliena superbia ac impotentia compulit! Junxistis itaque dextras invicti Heroes, & opus sanctum, opus religiosum, tamque utile toti Christiano Orbi aggressi estis. Porro ivistis geminatis copiis, ò Divini Duces, & ita in vastam multitudinem hostium vos immisistis, ut non tam milite, non illo quidem numerosissimò, cæterum agili ac infracto, adoriri tot legiones, quàm animis ingentibus, piis, amicis vincere, ac profligare videremini. Magni fuit opera Regis incliti in prælio apud Lipsiam factò, & cujus divinæ virtuti haud minima victoriæ pars post Deum ascribenda; sed tamen non minor ex eâ ad Te, Elector Serenissime, Laus rediit. Nam quod tam forti animo ac fidenti prælium svaseras; id invictissimus Rex tam feliciter patravit. Qvi quidem

sic antè statuerat, non omittere caput rerum, & ope-
 riendas occasiones potius, quàm non in tempore satis
 periclitandam aciei fortunam. Nimirum res ardua
 ac periculosa videbatur, hostem & copiis & cæteris
 facultatibus longè superiorem, & quidem iniquo lo-
 co, & ex itinere statim adoriri. Et quotusquisq̃
 paulò prudentior belli non ita teneret? sed perstitisti
 in sententiâ animosè, Domine, & quod ego puto,
 instinctu procul dubio Dei, nec de successu fuisti soli-
 citus, cùm causam cogitares. O felix itaq̃ dies il-
 la, & anniversariis festivitibus celebranda! felix
 & omnibus seculis commemoranda, quâ minimè Tui
 anxius pericula capitis magno animo subire non du-
 bitasti, quin tot injustissimos bellatores fudisti, tot in-
 numerabiles vastatores trucidasti, tot Germaniæ con-
 stupratores interfecisti, atq̃ atrocem, acrem, veteranum,
 & tot tantisq̃ victoriis exultantem adversarium, auxi-
 lio, ope, virtuteq̃ Regis invictissimi pepulisti, fugasti,
 subegisti: Venient igitur secula, Dux fortissime, qui-
 bus admirabunda posteritas monstrare digito, visen-
 dosq̃ nepotibus tradere, gloriosos palmis Tuis, fortu-
 natos victoriis, campos illos gestiet, locisq̃, quæ ho-
 stium Victor, Liberator oppressorum calcaveras, ve-
 nerationem Tuo nomine addet, & quæ recentium in-
 curiosior nostra ætas, perpetuo mortalium vitio, extol-
 lit

lit remissius inter exempla consecrabit. Hâc pug-
nâ ex sententiâ pugnata, relictoq; Rege ad Franconi-
am invadendam, victor statim Bohemiam perrexisti,
ubi Tibi tam lætæ res, sub ipso ingressu Tuo fuere, ut
primus cœpto bello Pragæ urbis potireris. Hinc fu-
gatis apud Limburgum per Arnheimium adversariis
captaq; Egrâ, aliisq; quàm plurimimis Bohemiæ civita-
tibus, in Silesiam ipsam victrices eduxisti copias, Glo-
goviâq; Majore receptâ fortissimos exercitus, quibus
Colloredius, Maradius, Schaumburgius & Philippus
Mansfeldius præerant multiplices, maximâ verò omni-
um apud Lignizenam clade affecisti. Opportunum
erat hoc loco, Domine, bellicam Tuam laudem plu-
ribus persequi, & quæ huc pertinere videbantur, Tuas
innumerabiles Victorias sigillatim enarrare: sed ma-
num nobis injicit aurea illa cum Cæsare Pragæ Bohe-
morum facta Pax. Quam ut inires, justissimas,
gravissimasq; omnino habuisti causas. Nam ad
Luzenam cum Victor occubisset fortissimus Rex, quàm
fracta eo casu plerorumq; ac imminuta fuit spes, quæ
in ipsius incredibili virtute ac pari felicitate hætenus
sita erat? Huc cum accederet Nordlingensis clades,
quâ dejecti formidine animi omnium, quâ consterna-
tione turbati confusiq; labebantur? Ac licet deinde
nonnihil in melius ire inciperent res; illi ipsi successus
K tamen

tamen ambitione quorundam atque ferocia ita videbantur corrumpi, ut cautioribus magnas gravesque suspicionum moverent causas. Itaque cum intuereris Germaniam vix spirare adhuc ac propè enanimem langvere, conqvassata ac prostrata undique authoritate libertateque communi, & parum interesse, uter vinceret; eò mentem Tuam, O Pacificè Princeps, advertisti sedulo, curasque omnes direxisti, ut finis tandem perditissimis armis imponeretur. Quare frequentibus legationibus congressibusque Pirnæ alibi que locorum inter Te & Cæsarem tentata sæpius, Pragæ Bohemorum demum conclusa pax est, quæ universo partium nomini, totique fesso Imperio Romano, pro præsentis temporis ratione ac statu, tollendisque internis discordiis longè utilissima & erat & æstimabatur. Nam cum maxime pacis causam gestum hætenus bellum esset, hoc studendum Tibi, & contendendum unice proposuisti, ut reduceretur ea mature, & Patria quamprimum à bello & quæ hoc sequi innumeræ solent, calamitatibus, respiraret. Nescio num mihi reddendum hoc loco sit, quod nonnulli maledicentissimi non semel hætenus in vulgus ediderunt. Dulce fuisse tunc pacis nomen, sed casso effectu, utpote quæ in atrocius bellum evaserat. Præclarum quidem in Principis laudibus pacis studium, sed Libertati si nihil officiat,

ciat,

ciat, si causa communis non vulneretur, & otii nomine
 concilietur servitus. *¶* Aequum de cætero, non sepa-
 rari ab iis, qui opem tulerint, priusquam ipsis ex me-
 rito satisfactum foret. *¶* Qui serunt talia quid aliud
 moliantur, quam uti iustissimis, pulcherrimisq; cœ-
 ptis mali speciem artificio quodam inducant, quô &
 imponatur simplicibus minusq; consultis, & invalescant
 partes, cum plures aut probatores aut socios invene-
 rint. *¶* Ergone diutius pati posses, Piissime Principum,
 volitare infesta arma & nullo discrimine incumbere
 tantâ licentiâ nostrum omnium fortunis? Minimè
 verò. *¶* Quin indolens miseriæ nostræ atq; ruinis Pa-
 triæ, quæ belli causâ indueras arma, pacis amore exu-
 isti, sicq; cum Cæsare Tuo idipsum studente tanquam
 cum Summo Magistratu in Concordiam rediisti. *¶* O
 quam pulchra, quam laudabilis Principis virtus! qui
 & stringere gladium uti pacem acquireret, & rursus
 recondere, uti à bello quiesceret, suo tempore nove-
 rit. *¶* Qui cum cogitaret, salutem Patriæ propriæ
 utilitati semper postponendam, id dedit imprimis ope-
 ram, ne detrimenti quid pateretur Republica, aut
 Majestas Imperii, quam fartam tectam, quoad fieri
 posset, ut conservaret, vel jurejurando obstrictus te-
 nebatur, minueretur. *¶* Ibit in secula tam pulcrum
 facinus, & quod præsens non solvet ætas, posteritas
 K 2 ipse

ipsa rependet ex vero. Nam tunc res demum omnes recto oculo metimur, & quâ major pars negotii atque laudis stetit, illac de universo fertur sententia. Aliud ex alio mihi occurrit, ac succedentis gloriae Tuæ cumulum vix potest æquare orationis angustia. Nunc enim Ferdinandi Tertii, gloriosissimi Imperatoris electio mihi pervellit aurem, atque in cæteris instrumentis Laudis Tuæ, quâ omnes Majores Tuos, omnes ætatis Tuæ Illustrissimos Principes, Maxime Ducum, Vetusissime & Antiquissime Electorum, quàm longissime antecedis, referri & ipsa merito postulat. More pervetusto in Romano-Germanico Imperio introductum est, uti quoties salus publica, gravissimæque causæ urgerent, vivo Imperatore Rex Romanorum eligeretur. Sic Venceslaum, sic Maxæmilianum & Ferdinandum Primos; Sic Maxæmilianum ac Rudolphum Secundos Imperii Successores vivis Imperatoribus destinatos fuisse, Annales memorant. Itaque quoniam deserentibus Germaniam ubique fatis, nihil ad consummatissimam infelicitatem ejus, atque ruinam deesse videretur, quàm interregnum & anarchia, si Ferdinando aliquid accidisset humanitus; indictis Ratisbonam Comitibus unâ cum Sociis Electoribus Celsissimis, Juvicentissimum Potentissimumque Principem ac Dominum Dominum Ferdinandum, nominis hujus Tertium,

Cui

(in quo omnes maximo Principe dignæ virtutes ita concurrunt, ut ostendisse viderentur, non alium summo terrarum Orbis Imperio admovendum esse) Romanorum Regem seu Cæsarem creasti. Cui quidem ferendo suffragium Tuum liberrimum, quàm nihil erraveris, quàmque id meritò & auspiciatò feceris, aurea illa pax, quam Ipse nuper cum Serenissimis Galliaë Sveciaëque Coronis, Osnabrugis & Monasterii VVestphalorum, ex consensu omnium Ordinum, Statuumque Imperii, triginta annorum composito bello iniit, luculentissimè abundeque probat. Cujus partes sic omni ope atque auxilio adjutum ivisti hætenus, ut Tuæ Constantiæ vim, armorum momentum ac robur, nec non sentiret adversa pars, & nunquam satis dissimularet, quibus cum dares otium nuper, & quasdam veluti ferias, nec animus Te, nec Virtus, Fidesque destituit; sed amor Patriæ, & promovendæ salutis publicæ, quæ summa semper Lex fuit, studium obtinuit abs Te ac impetravit. Non deseruisti arma, sed posuisti ad tempus; & ita quidem, ut posses resumere, si id ex bono publico videretur. Nam infinitas inimicitias suscipere, atque sic privatas cupiditates utilitati communi anteferre, ambitionis potius est, quàm fortis ac bellicosi viri meretur laudem. Sed in bello utilitati, in pace consuetudini parere, semper ad novos casus

L

tempo-

temporum novorum consiliorum rationes respicere, id verò Sapientis imprimis ac prudentissimi Animi censendum meritò est. Ut taceam, quòd ne pugnare perseverares, ipsi hostes à Te petierint; quorum alterum Fortitudinis, alterum Moderationis est argumentum. Nam ut cessares ab armis Moderatio Tua; Fortitudo Tua præstitit, ut idem & hostes vellent. Quod si quæ tamen gens externa eò insolentiæ processerit, ut omnis justis æquique, omnis Religionis atque Fidei turpiter oblita, vires Tuas, justamque defensionem arroganter provocare audeat, næ illa magno suo malo edocta sentiet, quid Virtus Saxonica, quid potentia, quid arma temerè lacesita Tua possint. Diximus Virtutis, Felicitatisque Tuæ laudem, cum ob Generis claritatem, tum ob gloriæ cumulum, dexteritatem consiliorum, & illam bello paceque præstitam innocentiam, denique ob tot tamque illustrissima pietatis fideique in Cæsarem, in Imperium, Patriamque exempla, Tibi adhuc intemeratam, nulloque vitiorum confinio læsam manere. Restat uti pauca de meritis Tuis erga subditos, deque interiori Tuâ vitâ, ut de pietate, de prudentia, de justitiâ, itemque de clementiâ, humanitate, munificentiâque, coelestissimis virtutibus; postremò de felicitate Conjugii, stemmatisque propagatione, quod insigne divinæ bonitatis munus est, referam. **Ma-
gna-**

gna & speciosa Principis gloria, cujus virtutes narraturus non tam vereor, ne me in iis commemorandis parcum nimis, quàm ne profusum existimet, hæc cura, hæc sollicitudo me tenet. Neque enim prædicari ille merita sua vult; sed scire tamen interest. Itaque enitar omni ope, ut si non dicam, quantum debetur ejus virtutibus, id dicam tamen quod aures ejus poterunt pati. Igitur primum in laudibus Tuis pono, quòd divini Numinis magnitudini ancillari finis Tuam, & indictâ animo Tuo pietate non adulatoriâ colis illum ac veneraris, quem colere venerarique solum præ omnibus par est, imprimis. Hujus quoque pietatis instinctu eò laborasti sedulo, omnesque nervos Tuos à primâ regiminis Tui die in hanc præsentem usque intendisti, quò vera & orthodoxa Religio juxta Verbum Dei, scriptaque Prophetarum atque Apostolorum, in terris Tuis purè atque sincerè doceretur, Sacramenta ritè administrarentur, semina disensionum piè præciderentur, erroresque ac scandala omnia circumciderentur, amputarenturque. Testes sunt tot Tuis auspiciis synodi à Celeberrimis Tuis Theologis habitæ celebrataque, tot Visitationes Ecclesiarum, Scholarum, Academia-rumque institutæ, tot scripta emissa in publicum, inter quæ Pupilla ejusque Defensio Zelum Tuum in propugnandâ & conservandâ Religione orthodoxâ, magnanimum

nimum toti terrarum Orbis fati superq̄ exposuerunt, testatumq̄ reddiderunt. Hinc Tibi cura ingens, studiumq̄ indefessum, fovere Scholas, & Academias, tanquam cœlestis Doctrinæ, Artiumq̄ bonarum atq̄ Lingvarum seminaria, ne scientiis neglectis, barbarieq̄ obortâ, ipsa quoq̄ Religio fortassis aut extingvatur mox, aut certè infelicissimè obscuretur. Jam quod quantumq̄ prudentiæ Tuæ donum, ut qui & de instantibus verissimè judicas, & de futuris callidissimè conjicis, qui ad res gerendas tarditate diligentia, celeritate industriæ adhibitâ, nunquam non ea, quæ suscipis obtines, maximumq̄ Imperium, labore maximo, successu haud impari exeqveris pariter atq̄ administras. Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hyeme, mariq̄ scopuloso, ac variis fluctuum agitationibus servat, quò ejus æstimabimus dignam præconiò prudentiam, qui se suosq̄ haud tantum, sed subditos quoq̄, sed universam Patriam, ex tot tamq̄ gravibus procellis Civilibus, ad incolumitatem perduxit? Jam verò quid de justitiâ Tuâ, Princeps Religiosissime, dicam, aut quid non dicam? Cùm enim Principis officium duabus hisce rebus, armis nempe & legibus, perfici absolviq̄ judicares, proxima Tibi cura atq̄ sollicitudo fuit, uti non minùs legibus armatus, quàm armis decoratus imperares, gubernaresq̄ utrumq̄

& bel-

& bellorum & pacis tempus quàm rectissimè. Ea propter, quò magis per legitimos tramites calumniarum iniquitates expelleres, defenderesque innocentes ab aliorum injuriis, non tantùm Tribunalia Dicasteriaque hujus Provinciæ longè præclarissima laudatissimaque illustribus Viris & scientissimis juris Antecessoribus replevisti; sed tres utilissimas, gravissimasque Constitutiones, Processum judicarium, Ordinationem Matrimoniam, & illam, quæ vocatur Politica, quoque promulgasti. Ut non regeremur tantùm à Te, nec Tibi magis quàm Legibus videremur subjecti. Neque tam Tu quàm istæ cupiditates nostras libidinesque moderarentur. Magnum hoc quidem; at speciosius tamen inusitatusque longè illud, quòd Te ipsum conveniri pateris ab his, qui se à Te læsos existimant, justitiamque non minùs accipis quàm reddis. Voluisti enim Ipse Te submittere legibus ante, quàm alligare alios, Principatumque Tuum ita æquitate moderationeque temperare, ut intelligeretur Te non plus velle, quàm liceret, etiamsi plus licere videretur, quàm par est. Commendet aliquis Civilitatem, Moderationem, Clementiam Augusti, sed alius lassam crudelitatem vocet. Quasi post mare Adriacum Romano cruore infectum, post fractos in Sicilia classes & suas & alienas, post Perusinas Aras, & proscriptiones non tam pepercit atque igno-

M

vit

vit humaniter quàm fatigatus fessusq; abstinuit. Nul-
 la Clementiam crudelitas, nullus Mansuetudinem
 cruor aut sævitia hucusq; contaminat, perosa adeò Ti-
 bi, uti nomen etiam illius detestari soleas, ac perhor-
 rescere. Plectis noxios, ne à bonis timeantur, nec
 tam homines quàm facinora punis, neq; causam magis
 puniendi, quàm modum observas. Bella nec pro-
 vocas nec infers, quanquam ea nec times nec fugis. Il-
 lis enim uteris ut pacem parias, hâc, uti honesto otio
 fruaris. Jam quid tam speciosum, tam utile, tam
 jucundum universo populo, quàm quòd sublimitas
 Tua Tibi causa superbiæ non est, quòd nemini subdi-
 torum Tuorum non liber ad Te patet aditus, neq; vultu
 tantum, sed admisione pariter ac sermone quoq; ama-
 bilis facilis, affabilis es, animosq; ac oculos omnium vo-
 luptate summa purissimâq; perfundis. Quòd infimi cu-
 jusq; non minùs quàm summi desideria placidè exci-
 pis, verum dicentem patienter audis, non dicentem
 sapienter agnoscis. Quòd clandestinas existima-
 tiones non respicis, sed unumquemq; talem credis, qualis
 fama ejus est, nec quicquam magis quàm insidiosos
 susurros fastidis ac spernis. Liberalis autem adeò
 es, ut in hoc Te non cum torrente sed flumine con-
 tendam, dum nunquam non largissimè Tuæ Liberalita-
 tis fontes in eos effundere soles, qui verecundiâ suâ be-
 nignitate

nignitate Tuâ uti non audent, certissimè Tibi vetus illud persuadens, *hoc Te habere, quod dederis*, ditareque non ditescere Tuum esse. Hinc Tibi continuum ac indefessum studium intercedere casibus, occurrere fortunæ, atque omni ope adniti, ne quis ministrorum Tuorum Liberalitate Tuâ expers videatur. Quid autem nos cum Deo Immortali magis jungat, quam cum justitiæ studemus, cum clementes itidem & benefici sumus? Cui Tu proinde, Optime Princeps, tantò similior, atque propinquior videris, quò magis his ipsis virtutibus ingentibus exuberans, quò absolutius accuratiusque easdem exprimis. Ad hæc quæ Animofitas Tua, quæ Constantia, quanta Gravitas? minus dico, quam debeo, si Te animosum tantum prædicem, cum Tu potiùs insigni hæc animi Constantiâ Tuâ ac Magnitudine divinus planè sis, si divinitas appellari debet, perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus agitur neque minuitur; sed adversa secundaque pari moderatione sustinet. Quam porrò constans in vestitu, quam immutabilis in cultu, de quo nihil ab incunte ætate in præsens usque tempus, quod admirabile dictu, omnino permutasti, uti vel ex hoc etiam Constantia Tua, Gravitasque verè Germanica illa dijudicare queat ac perspicere? Jam quanta firmitas corporis, quis capitis honor, quæ veneranda inflexæ ætatis canities,

ties, senectutis vegetissimæ accelerata publicis curis
 laboribusq; insignia? Manet Tibi in grandi ista æ-
 tate Tuâ, quod in minori olim viguit robur, & in-
 corruptus status corporis. Lætaboris labore? læ-
 taris adhuc. Vehebaris Eqvo? Veheris. In-
 cedebas pedibus? Nunc quoq; incedis. Eadem
 adhuc quæ olim refectio animi, mutatio laboris;
 Idem etiamnum gratisimum omnium studium, lu-
 strare saltus, excutere feras cubilibus, in casses plagasq;
 conjicere, aut sustinere telo ac figere. Ex quâ
 quidem re duplicem fructum consequeris. Nam
 & obsidione ferarum liberas agrestium sudorem, &
 corpus simul ac animum exerces, ne otio atq; desidia
 mollescant, sanitatemq; expellant. Parcius fortè
 quàm decuit de Virtutibus Tuis deq; ingentibus illis &
 tanto Principe dignis animi corporisq; dotibus dixisse
 videor. Atqui non laudes ipsas Principis; sed sum-
 ma earum capita tantùm persequi mihi propositum
 est. Itaq; eas non tam commemorare, quàm subdu-
 cere volui, more eorum qui Orbem in tabulâ pingunt,
 non ut æquent, sed uti repræsentent. Contigit
 autem Tibi, Elector Potentissime, summa felicitas,
 non ex factis modò, virtutibusq; æternam laudem me-
 ritis; sed ex Conjugio quoq; gemino, & felicissimâ
 stemmatis Tui propagatione. Nam ne existeres
 tantùm

tantum Princeps bonus; sed Tui similes quoque ut pro-
 creares, relinqueresque Patriæ, de ineundo matrimonio
 fuisti sollicitus. Itaque primum junxisti Tibi Cel-
 sissimam & Illustrissimam Principem Sibyllam Elisa-
 betham, Friderici Ducis VVürtembergensis Filiam, Flo-
 rem verè ætatis suæ, Decus Principum, Ideam Pul-
 chritudinis, Pietatis, Modestiae, ac quæ præcipua foe-
 minarum dos, Verecundiæ vivam & solidam Imagi-
 nem. Sed tanti Theauri possessio diuturna Ti-
 bi haud fuit: & brevi illam propitium Ipsi, tristissimum
 Tibi, mortalium cœtibus exemit fatum. Nam
 quantum luctus & acerbissimi doloris Tibi obitus e-
 jus; tantum felicitatis Ipsi attulit, quòd tot calamita-
 tibus, quæ hætenus oppresserunt Patriam, prærepta
 fuit. Sed ne spes omnis suscipiendæ prolis libe-
 rorumque tollendorum, qui fulcimenta darent Generi,
 subditis Principes, Patriæ Patres ac Propugnatores in ir-
 ritum caderet, evanesceretque prorsus, ad secundas tran-
 sisti nuptias, irruptaque Tibi copulâ fœdereque mansuro
 copulasti terrestrem Deam, laudem omnem supergres-
 sam, Celsissimam Principem ac Dominam, Dominam
 Magdalenam Sibyllam, Alberti Friderici Ducis Borusiaci
 Filiam, tantò Patre, tantò Maritò dignissimam. Ete-
 nim si Genus aspicias, est Illi cum antiquâ stirpe, tum Impe-
 ratorum Regumque ac Principum cognatione longè illu-

N

strissi-


strisimum. Si Virtutes, tolle sexum, Tuas habebit. Nam per Deum Immortalem, quanta pietas Illius, quanta Heroinæ animositas, quæ gravitas? An non unicum Ei propositum, hic continuus tenor vitæ, ut cum videat quàm Te pietas, mansuetudo, facilitas, veritas, constantia, liberalitas, & quicquid est virtutis ubiq; comitetur, & ipsa quoad patitur Sæxus, Te subsequi studeat ac imitari? Quanta porro verecundia, quanta morum innocentia, quanta fœcunditas? Audaçter dicam, vix ullum ab iis, qui omne ævum scrutantur, reperiri exemplum Principis posse, qui in tot ramos ac furculos vivus ipse vidensq; germinaverit, atq; tam latè sparserit Genus. Ex hac enim ex hac incomparabili Conjuge Tuâ, Tu Pater ac Genitor factus es decies, Avus tricies, & quod tres Illustrissimorum Nepotum Hasfiaca atq; Holfaticæ duæ Principes sperare jubent, beneficio Conjugii illarum, mox Atavus etiam futurus. Huic igitur tam multiplici felicitati, tam numerosissimæ gloriæ, tot tantisq; præclaris meritis Tuis, beneficiisq; Vetustissime Electorum, Gloriosissime Laudatissimeq; Ducum, quas aras dedicabimus? Quæ monumenta æternæ laudi Tuæ erigemus? Aut quot & quas gratias agemus dignas? Tua Felicitas, nostra felicitas; Tuus Honor, noster honor; Tua Laus, nostra laus est, Felicissime Princeps. Servasti Fidem Cæsari, servasti

vasti

vasti Deo; Stetisti in acie pro Cæsare, ut Tuo officio
 satisfaceres; Stetisti contra Cæsarem, ut Deo servires:
 Cepisti arma, ne Patria periret; Reliquisti, uti hæc
 respiraret. Per quem vivimus, per quem Spiritum
 ducimus, Tu es Bone Princeps. Qvi fortunas no-
 stras, & quicquid aliud nos in vitâ delectat inviolata ac
 integra servat, post Deum, Tu es, Bone Servator. Qvi
 pacem nobis, qvi securitatem præstat, Tu es, Bone Pa-
 cificator. Qvi malos felices, bonos infelices ef-
 se non patitur, Tu es, Bone Rector. Qvi popu-
 lum Tuum non cæca cupidine, sed legibus judicat,
 qvi constitutiones novas promulgat, Tu es, Bone Le-
 gislator. Tu nunquam non pii, nunquam non
 justus, nunquam non fortissimi itidem ac prudentissimi
 Principis munere functus es. Quid Tibi pro tot
 tamq̃ immensis beneficiis reddemus aliud, quam ut vo-
 veamus ea perpetua nobis sint, atq̃ ut Tu semper Tu-
 us maneat, hoc est, Pius, Fortis, Inclitus, Clemens.
 Audi Votum nostrum, Supremum Numen, & felicita-
 ti quam dedisti fave, tantisq̃ muneribus adde perpe-
 tuitatem. Custodi, quâ & publica continetur, sa-
 lutem Principis, & pignus nostræ securitatis in multos
 annos serva. Largire Menti ejus vigorem, Cor-
 pori sanitatem, laboribus fructum, consiliis dexterita-
 tem, armis vires, bellis triumphos, Familiæ sobolem,
 N 2 quam

quam æternam præstabis. Fac ut omnia quæ facit, quæque faciet prosperè cedant Ipsi, Affectibus, Nobis; aut si brevius sit optandum, uni Ipsi, in quo & nos sumus. Concede quoque ut sic illæsa atque perpetua felicitate fruens sæpius sæpiusque redire Diem hunc, inter Conjugis, inter Liberorum, inter Nepotum, populique Sui amplexus dulcissimos, & gratulationes festas atque tripudia, videat! Ita singuli vovebimus quotidie, ita orabimus omnes, tenebimusque, nihil cuique nostrum majus feliciusque contingere in vitâ hâc posse, quam Principem nostrum si diutissimè nobis relinquant superstitem.

D I X I.



Mendas, 'qvas' subitanea' typorum exscriptio exhibet,
benevolus lector ita corriget.

- Num. 4. lineâ 3. pro: specie quantum, à necessitate &c.
sic distingvatur: specie, quantum à necess.
lin. 10. pro nobilitate, legatur: nobilitati.
- Num. 5. lin. 20. pro Solet, l. Solent.
lin. 22. pro enerrare: l. enarrare.
- Num. 6. lin. 15. pro Stemmamatis, l. Stemmatis.
- Num. 8. lin. 1. pro despumanti, l. spumanti.
lin. 7. pro Ignorabas: l. ignorabas.
- Num. 12. lin. 9. pro Cœlestissia, l. Cœlestissima.
- Num. 13. lin. 2. pro qvî, l. qvi.
lin. 14. pro continuô l. continuê.
- Num. 16. lin. 1. pro progeffa, l. progressa.
- Num. 17. lin. 16. pro dexteritarem, l. dexteritatem.
- Num. 18. lin. 12. pro horibilis l. horribilis.
- Num. 19. lin. 1. pro universam, l. universum.
- Num. 20. lin. 7. pro auimum, l. animum.
- Num. 21. lin. 24. pro Lausatia, l. Lusatia.
- Num. 26. extinguatur num. 29. & num. 26. substituatur.
- Num. 27. lin. 14. pro moneerntq₃, l. monerentq₃
lin. 20. pro rymen, l. ramen.
lin. 21. pro everrentia, l. reverentia.
lin. 24. pro monam, l. noxiam.
- Num. 29. extinguatur num. 20. & substituatur 29.
lin. 1. pro minabundi, l. minabundos.
- Num. 30. lin. 20. pro Intineribus, l. Itineribus.
- Num. 33. lin. 1. post remissius ponatur Comma.
lin. 11. post præerant ponatur comma.
lin. 12. pro Lignizenam, l. Lignicium,
- Num. 34. lin. 4. pro enanimem, l. exanimem.
- Num. 36. lin. 24. pro Invictissimum, l. Invictissimus.
in fine deleatur custos, & substituatur: (in quo
- Num. 40. lin. 1. pro orbis l. orbi.
- Num. 41. lin. 7. pro tres, l. res.
lin. 24. pro fractos, l. fractas.
- Num. 46. lin. 15. & 16. l. Avus tricies & quinqvies; item pro
Illustrissimorum, legatur: Illustrissimarum.

F I N I S.

Handwritten blue ink scribbles at the top of the page, possibly a date or reference number.

Mendae quas subiectas typorum scriptio exhibet
benevolus lector ita corriget.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is mostly illegible but seems to contain a list of items or names.

F I N I S

Handwritten blue ink mark at the bottom left corner.



ULB Halle
004 803 434

3



ULB





A. 2, 90.

Vc
3487



L. Müller. sculp.

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Inches	Centimetres	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	2									
2	4									
3	6									
4	8									
5	10									
6	12									
7	14									
8	16									
9	18									
10	20									

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)